

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCLV.

VD18 90538943

XCII. Dissertatio Medico-Chirurgica, Sistens Observationes Rarissimas,
Generationem Calculorum In Corpore Humano Illustrantes.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16605

PARTIS QUARTÆ
CONTINUATIO.

XCII

DISSERTATIO
MEDICO-CHIRURGICA,

Sistens

OBSERVATIONES RARISSIMAS,
GENERATIONEM CALCULORUM
IN CORPORE HUMANO ILLUSTRANTES.

Quam Præside

D. ABRAH. VATERO.

Tuebatur

CHR. ANT. ZIEGENHORN,

MITTAV. CURONO.

Wittembergæ 19. Julii anno 1726.

Tom. IV.

N



TABLES QUARTES

DE
MATHÉMATIQUES

MÉTHODES

DES

OPÉRATIONS

ALGÈBRE

DE

ABRAHAM VATEL

Par

CHRISTIAN LEIBNIZ

DE

Wolffensbüchel, l'An 1702.

A

1702



OBSERVATIO I.

Tres calculi, membranæ peculiari inclusi, ac ejus ope vesicæ urinariæ intus adhærentes, reperti.

Juvenis Studiosus per duos circiter annos dysuria, sæpius recurrente, vexatus, intra hoc spatium ultra L. calculos mingendo exclusit. Horum alii pisorum majorum vel minorum magnitudinem habentes, rotundi ac politi sine incommodo inter mingendum prodierunt, alii plus minus angulosi, per aliquot dies in urethra subsistentes, ita quidem, ut urina guttatim effluere posset, prout duriores vel friabiliores, manu chirurgi attriti frustulatim, vel sectione integri exempti fuerunt. Hic tandem brevi ante mortem tempore, anxietate ac spirandi difficultate cum tussi, obstructione atri, sensum crescentibus afflictus, accedente insuper marasmo totius corporis atque tumore pedum œdematoso, pridie ante obitum lecto affixus, profuente copiosius sudore colliquativo, vitam cum morte commutavit. Accedentes ad sectionem corporis defuncti, primum thoracem aperuimus, ubi pulmonem in quibusdam locis scirrhosum ac cum pleura & diaphragmate hinc inde concretum, in corde vero truncos vasorum circulantium, polypis occupatos invenimus. Aperto postea abdomine, nullum in hepate ac liene vitium apparuit, intestinum autem Ileum valde sigillatum, & Colon, excepto solum ejus principio, ac portione trium digitorum transversorum latitudine, in sinistro hypochondrio e regione lienis, de cetero in toto suo ambitu una cum recto, ita contractum deprehensum fuit, ut digiti crassitiem vix aquaret, ac intus nulla fere cavitas conspici, in eamque minimi digiti apex non nisi vi adhibita intrudi posset; vasis sanguiferis sanguine crasso turgentibus. Tandem vesicam urinariam, utpote tot calculorum excretorum officinam perlustrantes, in hac tres calculos tophaceos, nucis fere avellanæ magnitudine, ope sacci membranacei eisdem involventis, antè supra pubem lateri interno annexos, invenimus, renes vero & ureteres vacui & a calculis immunes fuerunt.

§. I.

Presentem casum inter rarissimos & consideratione dignissimos referendum esse, nemo inficias ibit, qui singularia in eo occurrentia paulo accuratius pensitat. Concretio quidem pulmonis cum pleura & diaphragmate, ac polypi vasorum cordis frequentius observantur, & a nostro instituto quoque absunt, qui de calculis in hac dissertatione agere constituimus. Inde tamen respirationem difficilem, tussim, & a polypis sigillatim suffocationem mortemque citam in nostro dependisse, palam est. Sed con-

tractio enormis intestini Coli propius ad nostrum negotium pertinet, quam certe non in agone; aut una & semel factam, sed successu temporis, ob perpetuam generis nervosi, a calculis in vesica urinaria generatis, irritationem inductam fuisse, circumstantiæ omnes confirmant. Maxime tres isti, beneficio involucri sui membranosi cum vesica concreti, hic accusari debent, utpote qui tunicam ejus internam nervosam continuo prementes, spasmos partium circumjacentium non potuerunt non inducere. De istis igitur in præsentem exponere animus est.

§. I I.

Calculos ex scoriis tartareis, ob analogiam cum tartaro vini, ita dictis, id est partibus salinoterreis atque viscosis, quibus alimenta plus minus abundant, in variis corporis locis concretis generari, inter omnes constat: Quænam vero sit præcipua hujus coagulationis causa, inter Auctores Medicos nullatenus convenit, dum alii spiritum quendam gorgonicum, seu lapidificum, alii acidum peregrinum, coagulationibus firmioribus favens, alii calorem immodicum exsiccantem, vel frigus coagulans, alii fermentationem aut putredinem accusarunt. Nobis quidem prava alimentorum in primis viis digestio, ac vitiosa viscerum secretiorum & depuratoriorum secretio, ex innumeris causis inducta, in culpa esse videtur, ob quam cruditates tartareæ, quæ in canali alimentorum a succo nutritio separari, aut, si cum eo ad sanguinem penetrant, in colatoris excretoriisque organis, e sanguine secerni & e corpore eliminari debebant, in eodem retinentur & coacervantur, hinc inde stagnant, obstructions generant, atque in locis ad id aptis concrefcunt. Inde est, quod hypochondriaci atque scorbutici huic malo maxime obnoxii sint, inprimis, ubi dispositio humorum vitiosa hæreditate contracta adest, & abusus ciborum viscidorum, flatulentorum, acidorum & aculentium, salitorum atque fumo induratorum, potusque crassi, fœculenti, atque tartarei accedit. Præprimis autem concretionibus istis favent viæ urinariæ, utpote quæ transcolationi feri falsi, muriatici excrementitii destinatæ sunt, ac propterea calculis frequentius obnoxii observantur. Fit tamen omnino, ut causis hæcenus enumeratis præsentibus, tales homines a calculo ad tempus immunes sint, quamdiu natura robusta est, digestiones in vigore sunt, & excretiones per emunctoria succedunt. Observamus proinde, arthricos & calculosos, quamdiu urinam crassam & turbulentam mejunt, & arenulæ secedunt, a paroxysmo liberos existere, e contra vero urinas præter morem tenues eundem prænunciare. Quamvis vero ad hoc malum disposita magis sit ætas senilis atque virilis, non raro tamen contingit, ut etiam infantes atque juvenes, ut in nostro casu, eodem affligantur.

§. I I I.

§. III.

In nostro itaque casu notari imprimis meretur antecedens copiosus preventus calculorum, de quo subsequenti observatione solliciti erimus, ac involuorum, calculos tres in vesica residuos, post mortem inventos, ambiens, eosque cum latere interno vesicæ connectens. Calculos quandoque, utut rarius, sacculo quodam, membranam mentiente circumdari, testantur exempla ab auctoribus observata. Ita calculos XXXII. in vesica viri, post Lithotomiam frustra peractam mortui, omnes in propriis tunicis inclusi, & invicem ita contigui, ut haud aliter, quam apes in suis cavernulis favum, sic isti calculi in suis quique alveolis, totam vesicæ cavitationem replerent, inventi fuerunt, quod exemplum refert ex *Holzappellii Observ. Bonet. Anat. Pract. LIII. Sect. XXIII. Obs. IV. §. 2. Idem loc. cit. §. 4. ex Donat. Hist. mirab. L. IV. Cap. 30.* recenset, in cadavere viri post mortem, lapidem insignis magnitudinis, in vesica inventum esse, undique humore multo & crasso circumvestitum, instar anguillæ pellis involuero circumambiente. Quilibet autem facile perspicit, hæc integumenta calculorum nullatenus veras membranas fuisse, sed potius mucum viscidum, glutinosum calculos ambientem, successive inspissatum, tales representasse. Ita judicat *Bonetus loc. cit. in notis ad §. 4. Calculorum maxima pars, inquit, ejusmodi cutaneo involuero caret, nec nisi rarissime observatur; Accidit vero, ut in vesica tenax ea materia non semper in durum corticem, sed in membranæans solum substantiam convertatur, ab imbecilliore remissioneque calore impediendo, quo minus lapidescat.*

§. IV.

At alia longe res est cum nostro involuero, quod vera est membrana fibrosa, cum interna vesicæ tunica nervea continua, cum eadem firmiter concreta, ac ejusdem cum illa substantiæ. Ejus propterea origo certe a nulla alia re, quam ab ipsa interna tunica nervea vesicæ urinariæ, a calculis, in transitu ad vesicam per ureteres, prorumpentibus distenta, derivari potest. Notum quippe est ex fundamentis anatomicis, ureteres non recta via orificia sua in vesicam inferere, sed oblique inter tunicas ejus ad digiti transversæ latitudinem incedendo, tandem in anteriori vesicæ parte in regione pubis, intra cavitationem osculis suis hiare. Ita enim Divina Creatoris Providentia disposuit, ne urina intra ureteres regurgitare, ac secretionem ulteriorem in renibus turbare posset. Quid ita mirum, calculos, per angustissimos ureterum meatus ad vesicam descendentes, ubi transitum intra vesicæ cavitationem per oscula exilissima non inveniunt, juvante imprimis urinæ subsequenti pressione, intra tunicam nerveam perrumpere, eamque ad interiora trudendo, sibi sacculum talem efformare. Confirmat id *Petri Blandini, Medici Genevensis observatio a Boneto loc. cit. §. allata, ubi vesica*



urinaria in cadavere civis, in duas quasi bursas distincta visa est, in utraque vero cysti sex calculi reperti sunt nucis gallæ magnitudinem æquantibus. Addit propterea idem in nota ad hunc casum: ureteres non in vesicæ cavitate habitant, sed inter utramque membranam inseruntur, ideoque cum lapidum illorum, a renibus detrusorum, in cavitate vesicæ portio pervenerit, altera inter dictas membranas subliterit, accidit ut hi novo materiae appulsu, grandiores & graviores facti, pondere sinum & foveam effecerint, sacci formam, aut alterius vesicæ figuram referentem. Idem etiam sentit Willis d. urin. Cap. 5.

§. V.

Ex hætenus allatis exemplis, nostroque sigillatim casu, quantum ad calculos, membrana involutos ac vesicæ intus concretos, attinet, oppido patet, signa calculi vesicæ quandoque fallere, iisque licet absentibus, calculum tamen adesse posse. Calculi tales membranis involuti, & vesicæ intus adhærentes, ubi orificium ejus non attingunt, nullam ischuriam seu suppressionem urinæ efficiunt, neque etiam tales mediante exploratione ope catheteris cognosci possunt. Imo, utut de calculi vesicæ concreti, præsentia certi essemus, non immerito dabitur, an talis sectione tolli possent? Ita Tulpus Obs. Med. LIII. Observ. 5. disserit. Summe nocet vesicæ urinariæ calculus ipsi adnatus, quem sive tollas, sive relinquant, perinde occidis ægrum: Talis periculose accretionis exemplum licuit videre in cadavere, cuius vesica continuit calculum membrana involutum, & fibris tam stricte vesicæ tunicis alligatum, ut vix inde avelleretur sine manifesta dilaceratione. Misero cuidam lithotomus ætempturus calculum, extraxit simul & ipsam vesicam, utpote calculo tot & tam tenacibus vinculis accretam, ut nequiverit ulla arte separari. Sufficit hoc de membrana calculos investiente, progredimur nunc ad observationem secundam, quæ excretionem copiosam calculorum in nostro ægro adhuc vivente, factam, maximopere illustrabit.

O B S E R V A T I O I I.

Imber calculorum inter aquarum pyrmontanarum usum contingens, subsequente mictu cruento, tandemque ulcere vesicæ.

Nobilis Pomeranus, sanus ac vegetus, uti ipse de se refert, nulliusque mali sibi conscius, ante hos tres annos, suavis amici, conversationis causa, socium se ipsi adjunxit, in bibendis aquis medicatis pyrmontanis. Factum autem est, ut, cum potando aliquot dies transegisset, calculos quosdam minores, absque ullo quidem dolore, excludi inter mingendum sentiret. Effectum hunc criticum esse, sibi persuadens noster, aquas istas aucta dosi bibere incipit, quo facto,

facto, quatuor vel quinque dierum spatio, ultra quadraginta calculi, rursus tamen sine molestia exierunt. Hoc viso, strenue & alacriter potare continuat, optimum hujus curæ effectum sibi promittens. Assumpta vero ita nimia aquæ quantitate, urina supprimitur, adeo, ut ne minimam ejus portionem per tres dies emittere potuerit, usque dum catheteris ope via aperiretur. Commonefactus itaque a Medicis, ab usu aquarum ulteriori abstinent, rem ita peractam esse credens. Non ita multo post, vir iste iter faciens, continuo mingendi conatu læcessitur, ac iterum iterumque ex rheda descendere cogitur, tandemque inter gravissimos dolores sanguinem purum effundit. Duravit mictus cruentus & dolorosus, quamdiu ager in itinere constitutus fuit, postquam vero hic, domum reversus, quieti studuit, statim cessavit, nec quicquam doloris remansit. Quoties vero ab illo tempore sive rheda, sive equo veheretur noster, rediit dolor, & sanguis cum urina secessit, sed quiete restituta, iterum evanuit, nullo plane dolore supersite. Contigit quidem interdum, ut calculus unus vel alter prodiret, rarius tamen hoc factum est, nec ullum ex eo dolorem percepit ager, quoniam hi longe minores, quam quos inter aquarum usum reddidit, fuerunt. Symptomate hoc admodum molesto per duos integros annos vexatus ager, tandem usu medicamentorum liberatus est. Cessante itaque penitus mictu cruento, nil magis timuit, sed integræ sanitati restitutus sibi visus, medicamentis valedixit. At, quid sit? Augetur post illud tempus indies stranguria, virque continuo die nocteque ad urinam reddendam stimulatur, quo malo ipse ad hunc usque diem affligitur. Urina, quæ parcissima quantitate summoque cum dolore emittitur, crassa exit, ob pituitam viscidam admixtam, quæ fundum statim petit, glutini ex farina confecto similis, tantæ tenacitatis, ut in fila quasi trahi queat. Ager interea appetitu bono gaudet, & somno quoque sufficienti utitur, nec ullibi præterea in corpore dolorem sentit.

§. I.

Præsentem observationem conceptis verbis ad Illustrissimam & Regiam Magnæ Britannicæ Societatem d. VI. Jan. MDCCXXXIII. dedimus, quæ etiam ob dignitatem suam in *Transact. Philosoph. mens. Maj. & huj. ejusdem anni n. 377.* typis expressa est. At cum liber iste in paucissimorum manibus sit, juvabit illam hic repetere, ac conditiones ejusdem speciales in præsentem considerare. Notatu dignissimum sane in hoc casu est, tam brevi temporis spatio, tantam calculorum copiam evacuatum esse, ubi tamen ante usum aquarum medicatarum, ne ulla quidem suspicio adfuit. Posset hoc omnino nobis persuadere, non tam calculos hos, antea in corpore latentes, beneficio aquarum istarum expulsos, quam occasione ab ipsis data, de novo generatos fuisse. Suadere hoc videtur similitudo calculorum istorum, ratione coloris, cum ochra, quam aquæ istæ secum vehunt, quam coctione ex ipsis eduximus, ac cum calculis comparavimus.

Fracti



Fracti etiam calculi, strata ejusmodi variegata, lamellatim sibi invicem incumbentia, monstrarunt, qualia tophi, in thermis Carolinis per canales fluentibus, concreti exhibent. At enim vero contrarium ex omnium circumstantiarum collatione elucescet.

§. I I.

Ante omnia attendendum est, solam similitudinem calculorum istorum, ratione coloris atque stratorum cum ochra & tophis aquarum medicatarum, generationem ex aquis pyrmontanis factam nullatenus probare. Possidemus calculos, colore & consistentia convenientes, ab ægris, nunquam aquis medicatis usis, exclusos. Licet etiam calculi, ante usum aquarum, in prædicto viro nulla sui signa præbuerint, nihil tamen obstat, ut statuamus, eosdem in vesica latuisse, ac demum operatione aquarum medicatarum e latibulo suo exturbatos fuisse. Confirmant hoc exempla ab auctoribus annotata, ubi calculi in mortuorum corporibus dissectis reperti fuerunt, in quibus, quoad viverent, nulla eorum suspicio adfuit. Tale est quod *Mangett. Biblioth. Med. Pract. L. III. Tit. Calcul. p. 365. ex Blancard. Obs. Anat. Pract. ration. Cent. I. 94.* recenset, quod nimirum in vesica sexagenarii defuncti, calculus pyriformis XIV. unciarum, durus ac in medio pervius inventus sit, per quod foramen urina exitum habuit. Hic tamen nunquam per totum vitæ ductum de calculo, dolore, gravitate, aut suppressione urinæ conquestus est. Hujusmodi observationes plures, calculorum plurimorum in renibus, citra signa calculi, gestatorum, videre est apud *Bonet. l. c. Sect. XXII. obs. XXIV.* Judicandum ergo potius erit, aquas pyrmontanas, ob virtutem, qua pollent, laxativam & diureticam, calculorum jam præsentium evacuationem effecisse. Idque penitus confirmat casus singularis, a *Pechlino in Obs. Med. Phys. L. I. 16.* adductus, ubi notat, a pyrmontanis viro, ex hypochondriis ægrotanti, etiam calculos, nunquam ante creditos, ab alvo magna copia propulsatos esse, tot olim purgantibus, quod diluvio isto carerent, frustra propinatis. Idem etiam *obs. 7.* extra usum aquarum medicatarum in puero, dolore quidem vesicæ ponderoso, sed sine calculi suspicione, laborante, post esum largum pisorum, calculorum pisiformium, pisa crena hiloque accurate referentium, per ulcus, in perinæo frictione ruptum, evacuatorum copiosum proventum, ac *observ. 8.* imbrem calculorum urinosum, in fene, calculo alias obnoxio, in itinere prorumpentem, recensuit. Notabilis quoque casus, a *Clariss. D. Kundmann* observatus recensetur in *Act. Breslau. A. 1722. August. Class. IV. Art. 18.* ubi in viro 75. annorum XVIII. calculi duarum horarum spatio, sine ullo dolore exclusi sunt, insequente tamen altero die morte ipsius. Horum maximi nucem avellanam, minimi pisa magnitudine æquabant, unde non immerito *ipsi* videtur mirum, quo pacto calculi tantæ magnitudinis, sine dolore, per urethram angustissimam penetrare potuerint.

§. I I I.

S. III.

Ut autem generatio calculorum in prædicto viro nequaquam aquis pyromontanis adscribenda sit, exturbatio tamen violenta eorum e sede sua, in qua forte diutius sine incommodo latere potuissent, ac subsequens mictus cruentus, ulcus vesicæ post se relinquens, virtuti eorundem diuretice fortiori non potest non adjudicari. Docet interim hoc exemplum, usum aquarum talium medicatarum non promiscue omnibus suadendum, eumque, vel minima calculi suspitione præsentem, potius interdicens esse. Ita *Pechlinus loc. cit.* se quidem aquis Thermalibus calculos nonnullos propulsos vidisse, intempestiva tamen aquarum Embfensium potatione quosdam, qui nullis unquam doloribus renum calculive vexati fuerunt, gravissime & decretorie ex nephritide laborasse, expertum se esse, annotat. Quamvis etiam *Mangett. loc. cit. p. 310.* dicat, nullum magis efficax remedium esse, sive ad præcavendum minorum calculorum incrementum, sive ad eosdem e renibus deturbandos, quam aquarum chalybeatarum potationem liberiore, per singulas ætates jugiter repetendam, addit tamen, istis ægrum tuto se committere non posse, nisi prius certo sciat, calculum majorem non esse, quam ut per ureteres viam possit sive invenire, sive facere. De hoc tamen certos nos esse vix posse, exempla hactenus allata docent. Sequitur

OBSERVATIO III.

Duo calculi biliarii insignes per alvum excreti.

Femina L. circiter annorum, habitu corporis crasso & obeso prædita, ad sensum tamen sana, nullo minimum morbo manifesto brevi ante afflicta, superiori anno subito corripiebatur dysuria atque stranguria, cum horroribus ac calore febrili, alternative se excipientibus, quibus etiam iungebantur dolores capitis & artuum, phantasia, anorexia, ac id genus alia symptomata. Hoc rerum statu, ægra a medico auxilium petiit, ac remediis ab ipso acceptis usa est, sed absque levamine, quantum quidem ipsa percipere potuit, continuarentur potius symptomata ista ad XIV dies, ubi deinde vehementissima ventris tormina, cum vomitibus conjuncta accesserunt, qua primum regionem umbilici occuparunt, tandemque in regione lumborum substiterunt. Oborta itaque calculi suspitione, nostra Roob juniperi atque Baccas tostas loco theæ assumpsit, interpositis simul pilulis laxativis. His tandem factum est, ut, superveniente diarrhæa, primum lapis major fig. IV. ac post XIV. circiter dies, recurrente dolore ac torminibus, calculus minor fig. III. expressus, per alvum succederet.

Tom. IV.

B

hac

hac saltem cum differentia, quod ante primi evacuationem, dolor magis in sinistro, ante secundi vero excussione, magis in dextro lumborum latere irgeret. Nunquam illa antehac calculo laboravit, aut illum ejus indicium percepit, post illud tempus etiam satis bene valet, nisi quod nunc accedat tumor edematosis pedum, cachexia index & hydropis prodromus. Calculi isti coloris fusci, intus flavi, striis & circulis croceis distincti sunt, ac si superficiebus, versus se spectantibus, conjunguntur, ita se invicem mutuo excipiunt, ut manifesto videri possit, eos in corpore conjunctos fuisse, aut saltem sibi accubuisse, figuramque pyriformem, figuræ vesicæ felleæ fere similem exhibent. Sunt enim illi vere calculi biliarii, ac aquæ injecti eidem innatant.

§. I.

Calculi non tantum in viis urinariis, renibus atque vesica generantur, sed in omnibus fere corporis partibus tales inventi fuerunt, ne ipso quidem corde ac cerebro exclusis, uti testatur *Observo. 35. Kerckringii Spicileg. Anat. de lapide in cerebro adolescentis stupidi XIV. annorum*, ac in corde puellæ XI. annorum, anxietate, dum in vivis esset, affectæ reperto, aliæque ab auctoribus consignatæ observationes. Maxime vero cystitis fellea huic concretioni obnoxia & apta observatur, tum ratione liquoris contenti, tum quoque ratione situs atque usus. Succus equidem biliarius præ reliquis liquoribus, a sanguine secretis, crassus atque balsamicus, scoriis salino-sulphureis, a sanguificatione residuis, copiosissimis imprægnatus est. Hæc e sanguine venæ portæ crassiori, a tubulis secretoriis hepatis, nullum alium in finem fecernuntur, quam ut ad intestinum duodenum amandatæ, ibique cum alimentis mixtæ, incidendo viscosas eorum partes, prius in intestinis chymi ulteriorem solutionem, chylisque ab excrementis separationem efficiant, hac vero peracta, postmodum, tanquam excrementitiæ nulliusque amplius in corpore usus, cum fecibus, quibus tincturam præbent, per viam ordinariam eliminantur. Pars istius liquoris, per ductum hepaticum ad duodenum effluentis, in via per ductum cysticum, cum hepatico conjunctum, extra tempus chylicationis, ad vesicam felleam amandatur, in qua, tanquam diverticulo stagnat & asservatur, donec ventriculo ab alimentis expanso, ad effluxum concitetur. Bilis propterea in folliculo contenta, ordinariè crassior, quam quæ ab hepate affluit, observatur, adeoque, ubi excrementis salino-tartareis nimium abundat, facilius ad concretionem tendit. Eique rei maxime favet, situs cystidis felleæ declivis, quo fundus ad inferiora locatur, collum vero versus superiora tendit, & obliquo ductu tandem in ductum hepaticum terminatur. Eam ob causam, non solum tenuior tantum atque maxime fluxilis pars, constrictione & compressione vesicæ, effluit, sed etiam bilis

huit.

nunquam totaliter effunditur, potius pars quædam spiffior semper ibi remanet. Propterea tamen in subjectis fanis nulla fit bilis coagulatio, quia illa novo semper affluxu restauratur atque diluitur. In subjectis autem hypochondriacis, scorbuticis, cachecticis, melancholicis, ictericis, obstructione viscerum atque secretionē vitiosa laborantibus, tanto facilius calculi in vesica fellea generantur, de quibus innumeræ observationes, ex auctoribus collectæ, videri possunt apud *Bonet. Anot. Pract.*

§. I I.

Quemadmodum vero, morbis istis enumeratis, ipsoque ictero, præsentibus, non tamen semper adsunt calculi in vesica fellea, ita, quod magis est mirandum, quamvis calculi ibidem reperiantur, necessario tamen icterus nullatenus sequitur. Id docet observatio *Neretii* a *Boneto l. c. Sect. XVIII. Obs. 8. §. 6.* relata, qua ipse testatur, se in duabus feminis XVIII. calculos, nucis ponticæ magnitudine reperiisse, quarum tamen neutram morbus arquatus infecerat. Neque etiam nostra ægra ictero unquam laboravit, nec dolorem, aut aliud incommodum ab ipsis antea percepit, qualia exempla refert pariter *Bonet. loc. cit. Sect. XVII. Append.* Attamen magnitudo horum calculorum insignis sufficienter probat, eosdem certe non nudius, tertius generatos esse, sed diutius in corpore latuisse, donec tandem, ex qua, nescio, causa e sede sua exturbati, exitum quæsiverunt inveneruntque. Sed forte quis objiciet, calculos istos in nostra ægra in vesica fellea nullatenus hæsisse, sed in alio loco generatos fuisse, cum probabile nullatenus esse videatur, tantæ magnitudinis lapides per angustissimum, tortuose situm, ac valvulis spirabilibus munitum, ductum cysticum viam sibi parare posse. Non diffitemur sane, arduum esse negotium, certo & demonstrative a priori id probare, cum a posteriori id fieri nequeat, quia mulier ista per Dei gratiam adhuc vivit, ac dubium omnino est, an post ejus mortem tandem in hanc rem inquirere liceat, quod equidem optandum foret. Nihil tamen secius argumenta sufficientia adsunt, quibus ad ducti affirmamus, calculos istos ex nullo alio loco, quam ex vesica fellea provenisse, uti nunc demonstrabimus.

§. I I I.

Ante omnia itaque probe notandum, calculos istos, uti e circumstantiis in historia allatis constat, esse bilarios, in & ex bile generatos, aquæ, quod teste *Fernel. Pathol. L. VI. c. 5.* proprium est calculorum felleorum, innatantes, ac compositi, figuram vesicæ pyriformem exprimentes. Neque enim credendum est, bilem e folliculo intra intestina effusam, ibidem in tantos calculos coire posse, quia in tenuibus, ob motum eorum peristalticum continuum ac digestionem alimentorum, id ipsum fieri nequit,



ad crassa vero ea non nisi excrementis mista accedit. Nulla ergo aptior generationis officina istis assignari potest, uti ex antea dictis constat, modo non obstaret via, per quam ad intestina penetrare debebant, angustia. At enim vero, canales corporis angustissimos quandoque ultra fidem distendi posse, probat non modo orificii uteri interni arctissimi, pro fetu & placenta transmittenda, in partu ampliatio enormis, sed & ureterum, cavitate exilissima gaudentium, distensio præternaturalis in calculosis. Sic celeberrimus *Ruysehins Obs. Anat. Chir. XCIV.* annotavit prodigiosam talem ureteris, calculo avellanæ magnitudinis obstructi, dilatationem, ut integram puris pintam caperet. *In Transact. Philos. Reg. Soc. Brit. A. 1723. n. 377. Obs. III.* relatum legimus, in viro calculo obnoxio, post mortem secto, in vesica urinaria sex calculos ovaes, insignis magnitudinis, ureteres vero ita dilatatos, ut maximus eorum facillimo negotio, sine vi adhibita, a renum pelvi versus vesicam protrudi posset, inventos fuisse. Ut taceam nunc, structuram atque conformationem, amplitudinemque canalium corporis, in diversis subjectis admodum variare, adeoque specialem vesicæ felleæ atque colli ejusdem fabricam & dispositionem, in nostra forsitan adesse posse, ob quam calculi isti facilius, ac concipi potest, per hanc viam penetrarunt.

§. I V.

Sed plura probationis momenta præbent nobis symptomata, calculorum evacuationem in ægra prægressa, quæ certo evincunt, eosdem non in canali alimentorum hæsisse, verum aliunde eo delatos fuisse. Paroxyfmi febiles, cum phantasis, doloribus capitis & artuum, testantur de imminente inflammatione partis cujusdam nervosæ, ob gravem irritationem generis nervosi, unde spasmi concitati, ac stranguria dependerunt. Quid vero hoc aliud indicat, quam quod calculi, in angustis hærentes, ac transitum urgentes, horum omnium causa extiterint. Secuti sunt porro dolores, ac tormina ventris, circa umbilicum, postquam calculi ad intestina tenuia pervenerunt, atque per hæc viam suam continuarunt. Tandem dolores isti in lumbis substiterunt, quia calculi ibidem, prior in sinistro latere circa flexuram coli, posterior vero in dextro latere, in transitu per valvulam magnam, difficultatem istam ac molestiam crearunt, donec tandem, via hac longiori absoluta, in lucem prodierunt. Ne tamen ullum in animo lectoris dubium remaneat, calculos sæpius memoratos re vera e cystide fellea, per ductum ejus ad intestina prodiiisse, confirmabo hoc exemplo plane simili. Præbet hoc nobis calculus, in Gazophylazio Regis nostri potentissimi asservatus, insignis magnitudinis, corculique figuram habens, a femina per alvum excretus, cujus autem quinque focii, post mortem defunctæ, in vesica fellea reperti sunt, ita figurati, ut videri possit, quomodo majori isti ad hæserint. *vid. Diss. N. de calcul. in vesica fellea generat.*

§. V I.

§. VI.

Restat, ut paucis adhuc de remediis, ab ægra usurpatis, dispiciamus, ut pateat, qualia in hoc affectu conveniant, & a quibus effectus salutaris sperari possit. Priora, a Medico exhibita medicamenta, qualia fuerint, nos quidem latet, symptomata tamen febrilia suadent, eundem juxta indicantia nulla alia, quam antifebrilia & antispasmodica, inflammationi resistentia propinasse, Baccae autem juniperi & rob earundem, postea assumpta, pertinent alias inter medicamenta calculum pellentia. Juniperina æque ac alia carminativa temperata ad promovendum calculum biliarium, ubi indicium, vel saltem suspicio ejus adest, commendari merentur. Commendatur proinde maxime a *Sylvio prax p. 436.* Spiritus nitri dulcis, qui alias in pellendo calculo renum & vesicæ urinariæ tanquam optimum carminativum, aperitivum & diureticum, egregiæ est utilitatis. Laudantur tamen etiam ab Auctoribus remedia alia aperitiva, a quibus salutaris effectus in hoc casu sperari potest. Vidimus supra, usu aquarum pyrmonantarum, copiam calculorum felleorum, ex viro hypochondriaco, per alvum propulsam fuisse. Refert quoque *Hoffmann. in Clav. Schroeder. p. 463.* radicis curcumæ, quæ alias inter optima aperitiva, antihypochondriaca & anticholerica remedia, locum invenit, beneficio calculos vesicæ felleæ evacuatos fuisse. Præprimis autem *Sylv. loc. cit.* commendat radicem graminis tanquam specificum, ideo quod boves & oves, in quibus hyemali tempore, ab esu fœni, in ductu biliario lapidea crusta concresecere dicitur, ubi mense maio iterum gramine viridi vescuntur, sensim ab hoc affectu liberari observentur. Destituimur quidem nos in hoc propria experientia, videtur tamen nobis, dictam radicem non immerito ad hunc affectum commendari, cum ea ob insignem amaritatem atque acredinem, alias inter aperitiva ac anthelmintica non infimum locum occupet. Sed abstinemus a plurium remediorum enumeratione, quia alias signa calculi vesicæ felleæ obscura, ac communia sunt cum malo hypochondriaco atque ictero, adeoque per se patet, quæ in his morbis, cum calculo felleo interdum conjunctis, & ab iisdem causis provenientes, conducunt, ea quoque contra hunc profutura esse.

OBSERVATIO IV.

Calculus Castorei, ex eodem recenti extractus.

Offerebatur amico, ante tres annos, a piscatore venale castoreum, recenter ex castore femella annosa, sex pullis pregnante, extractum. Hic duritiam in folliculo percipiens, fraudem, in venditione castorei familiarem, suspicatus, antequam illud coëmeret, aperuit. Invenit in eodem calculum fig. II.

B 3

expressum.

expressum, tunica propria, in qua cochleare dimidium humoris lactei, odoris fragrantissimi summeque volatilis, continebatur, involutum. Calculus hic exterius crustam lapideam, coloris lutei, politam, hinc inde tamen fissuras habentem, monstrat, interior vero substantia est ipsa medulla castorei, coloris fusci naturalis, sed in lapideam pariter duritiem immutata, ut a percussione cum instrumento ferreo sonitum edat. Longitudo ejus est, digiti geometrici Lipsiensis unius cum semisse, crassities unius digiti, pondus drachmarum duarum, odor ipsius castorei, diuturnitate temporis, quo asservatus est, nullatenus imminutus.

§. I.

Calculos non tantum in hominum, sed & in brutorum familia, admodum frequentes esse, ac in eorum non solum vesica urinaria, sed & fellea, imo etiam in aliis corporis locis reperiri, experientia docet: Tales in vesica fellea boum, porcorum, in specie hytricis, ac in ventriculo vaccarum, simiarum, leonum, rupicaprarum & caprarum indicarum, pasahr vocatorum reperiuntur, quod ultimum nomen in vocem Bezoar mutatum, lapidis Bezoardici denominationem dedit. Hi, teste *Kampfer in Anenit. Exot. Fascic. II. p. 400.* in capris tantum annosis, valde macilentis, adeoque morbofis inveniuntur, unde mirum non est, in castore nostra, concretionem calculi in folliculo, ætatis vitio factam esse, quia tales non nisi rarissimo admodum exemplo observantur, uti postea videbimus, & experientia ipsa testatur. Senectus enim, propter debiles digestiones, ac vitiosas secretiones, quas inter causas calculorum supra retulimus, ad eorum generationem præ aliis prona est. Propterea etiam in cervis annosis & in hominibus decrepitis, valvulæ cordis, ipsiusque aortæ tunicæ, in ossæam ac lapideam substantiam degenerare, observantur.

§. II.

Rarissime vero contingit, ut in brutis pariter ac hominibus, in ipsis visceribus visculosis atque glandulosis, secretiona humorum puriorum infervientibus, calculi concresecant. Nihilo tamen secius exempla calculorum, in visceribus eorum variis repertorum, apud Auctores occurrunt. Sic apud *Bonet. Med. Septentr. L. VII. paraleipom. ad sect. IV. obs. 1.* reperitur observatio *Menzelii*, de calculo in cerebro Damæ invento, quibus ille in Scholio, calculum ex omento rupicapræ extractum, & a *Welschio diff. de Aegagropyl.* descriptum, aliosque duos, a se ipso inter curiosa asservatos addit. Pariter in glandulis calculos inventos esse, docet lapis ex atheromate, quem a *Severino* extractum, a *Bartholino* accepit *Wormius*, uti refert *Musei L. I. S. II. C. II. p. 74.* quem ideo lapidem atheromatis vocat. Quanto igitur facilius in glandulis inguinalibus castoris, secretioni massæ spissioris atque crassioris destinatis, culculam generari posse, credendum est.

§. III.

§. III.

Raritas tamen hujus observationis, facile cuiquam dubium excitare posset, utrum calculus iste genuinus sit, nisi simile exemplum a *Wormio loc. cit. p. 73.* annotatum reperiretur. Cum *Hic* in ædibus pharmacopæi compositionem Theriacæ adornaret, atque inter alia depromeret castoreum minister, in ipsius substantia & medullio invenit lapidem planum, rotundum ferme, quamvis inæqualem, colore luteo, pondere drachmæ unius cum femisse, substantiæ gypseæ, sed a ministro ex improvise fractum. Hunc ille lapidem castoris appellavit, ac quia tales, ipso fatente, nec Ipse, nec ullus ex reliquis Medicis præsentibus observarunt, instar rari alicujus inter reliqua afferendum putavit. Metuens autem, ne pro impostura habeatur, addit ibidem: *Non est, quod existimit quis, ab impostore intrusum, ut pondus augetur, quia drachma una & semis saltem erat, quod lucrum valde parum augere poterat, tum quod non duræ, sed gypseæ substantiæ, & coloris etiam in medullio, dum fractus erat, ejusdem cum castoreo.*

§. IV.

At enim vero hac protestatione haud opus fuisset, si laudato viro obtigisset, calculum ex recenti castoreo extrahere, aut extractum accipere. Nostrium quippe exemplum, quod de reliquo cum illo quoad omnes circumstantias convenit, extra omnem dubitationis aleam ponit, calculos in castoreo generari posse, ac generatos reperiri. Etenim calculus noster non tantum propria tunica aut folliculo inclusus, sed liquore etiam lacteo fragrantissimo circumfusus fuit, manifesto documento, ipsum ex materia liquidi hujus terrea atque salina generatum esse. Notatu dignus vero est color liquoris istius lacteus, qui a partibus quidem salino-sulphureis, in aquosis solutis, alias dependet, uti testantur chylus & lac ipsum, itemque lac virginis, ex tinctura Benzoes, aquæ infusa, factum. Sed eundem colorem quoque a partibus limosis atque viscosis, terreis atque tartareis, in aquosis præcipitatis provenire, docet urina lactea, in iis, qui calculo vesicæ laborant, quandoque observata. Atque ita etiam calculus castorei, ad illustrandam generationem calculi humani, facere potest. Sed tempus est, ut hic pedem figamus, adeoque huic commentationi nunc imposta sit

E I N I S.

EXPLI.



EXPLICATIO FIGURARUM.

Fig. I.

Calculos tres numeris 1. 2. 3. notatos, in involucro suo e filo pendentibus, exhibet. ad Observat. I.

Fig. II.

Calculus, ex Castoreo recenti effectum, denotat. ad Obs. IV.

Fig. III.

Calculus biliarium, per alvum exclusum, posteriorem, &

Fig. IV.

Calculus biliarium, per alvum exclusum, priorem exhibet. ad Obs. III.

DISSER.

X C I I I .

DISSERTATIO
MEDICO-CHIRURGICA,

D E

CALCULIS IN LOCIS INUSITATIS NATIS
ET PER VIAS INSOLITAS EXCLUSIS.

Quam Præside

D. ABRAH. VATERO, P. P.

Tuebatur

JOH. AUG. SCHULZE,

FREYBERGA-HERMUNDURUS.

Wittebergæ 30 Maii anno 1741.

Tom. IV.

G

